

Africanas Ecclesias , ut superius diximus , oppresserat , circiter annis sexaginta.

Gregorio magno successit *Sabinus*, cui *Bonifacius tertius* Is à seditione & particida tyranno Phoca impetravit, ut Papa Romanus primatum super omnes Ecclesias & Episcopos haberet. Hoc sese fundatore suæ potentiae, vel tyrannidis potius, non immerito Papæ Romani jactare debent, ut simile habeat, seque dignum patella operculum ; nam non minimum ab eo, si non longè maximum, stabilimentum suæ dominationis habuerunt. Cœpit sanè tunc eorum regnum egregiè crescere, ut etiamsi multi & in Occidente & in Oriente eis contradicerent, tamen id planè frustra facerent.

Secuta est paulò post *imperii translatio*, qua astutè in suum commodum Papæ abusi sunt. Egregiè etiam sunt abusi simplici ac imperito zelo, incautaque devotione illorum barbaricorum Cæsarum (sic enim eos isti terræ filii Curtisani Papæ vocant) qui Roman.fraudum parum gnari expertique fuerunt.

Apparet nihilominus, etiam Carolo & Ludovico regnantibus , Papæ maiestatem longè minorē fuisse, quam nunc sit; nam illi Cæsares , quin & multi eorum successores , tum Concilia suo arbitrio indicebant; tum Episcopos creabant & confirmabant, eisque, quod videbatut, imperabant. Quin & ipsos Romanos Pontifices confirmabant, nec erat tata eorum electio; nec licebat eos consecrare, nisi Cæsar annuisset. Atque hæc potestas longo tempore Cæsaribus Germanicis integra inviolatque permanxit , licet saepius Papæ cervicem suam contra Cæsares execrere conarentur. Demum, cum *Henricum IV.* circiter ante annos 450. per proprium ejus filium Papæ cum suis Episcopis & Spiritualibus oppressissent , tum tandem plenum imperium non tantum in omnes Ecclesias , sed & ipsum imperium sibi arripiuerunt, & asseruerunt, ut ab aliis prolixius explicatum est.

Hic habes breviter comprehensam narrationem certaminum *de tyrannide Papæ*, non quidem eorum, quæ cum Imperatoribus Germanicis acciderunt , quæ quia aliunde rectius cognosci possunt, vix attigi : sed eorum, quæ olim *inter Papas & Concilia*, in primisque *Carthaginense sextum* fuerunt. Ex hac brevi historiola, Christiane Frater, multa cognoscere potes. *Primum* disces, quod initio Ecclesiæ, & aliquot postea seculis, Papæ nullum tale imperium, aut tyrannidem potius, quam postea, & præsertim hisce postremis ac infelicissimis temporibus, in Ecclesias Dei habuerint. *Quod etiam ex ipsius Pii secundi ore superius clara audisti. Deinde* animadvertes, quibus & quam præclaris artibus Romani Antichristi ita sese in altum extulerint, evexerintque, ac omnes pios , etiam ipsos Cæsares , pedibus suis calcandos subjecerint; nempe miris fraudibus & planè nefariis sceleribus falsando & damnando sacrosancta Concilia, configendo suppositia scripta , excommunicando sinceras Ecclesias , & horribiles turbas ac dissidia in Ecclesia Dei conciendo; quin & nefaria ac plusquam civilia bella movendo , omnia denique justa ac injusta,